QUOD DEUS BENE VERTAT!

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

De

CHOREA S. VITI,

Quam

Indultu Gratiosissimæ Facultatis Medicæ in Illustri Salana,

PRÆSIDE

Viro Excellentissimo,

GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO,

Med. Doct. Theoret. P. P. Archiatro Saxonico, nec non S. R. I. Academiæ Natur. Curiosor. Adjuncto,

Dn. Præceptore, Patrono ac Promotore ætatem sanctè venerando,

PRO LICENTIA,

Summos in Arte Medicâ honores, insignia ac privilegia Doctoralia ritè capessendi,

publico Eruditorum examini subjicit

Gottlieb PROFIUS, SORANUS,

in Auditorio majori,

Horis ante-& pomeridianis consuetis,

Die XI. Februarii, Anno M DC LXXXII.

JENÆ, LITERIS KREBSIANIS.



PROOEMIUM.

NEmo ferè ſaltat ſobrius, niſi fortè inſanit, verba ſunt *Ciceronis ex Oratione pro Murænâ.* Linquemus aliis conſiderationem dicti hujus moralem, an turpe ſit ſaltare, nec ne; nobis id ipſum occaſionem ſuggerit, de naturâ ſaltationis & tripudii cogitandi.

Duas ad ſaltandum impellentes cauſas, ebrietatem & inſaniam, innuit, licet una videri poſſit, cùm nil aliud iſta ſit, quàm ſpontanea inſania. Utraque excitatos ſpiritus, tum ad alias actiones, tùm inprimis ad choreas diſponit.

Videas hos triſtari magis & lachrymari, illos iracundiæ ſtimulis, ſi mero delibuti fuerint, citari. Hic cantat, ille motus inire gaudet Jonicos. Non una ſcilicet eſt inſania, ut diverſi mores in hos vel illos motus eandem determinant.

Utrobiquè tamen ſpiritus irrequieti in motum citantur, in ebriis à ſpiritibus vini, vel cereviſiæ, quam οἶνον κρίθινον cum *Xenophonte* nominare licet, illatis in corpus novis ignibus; in inſanis lymphâ, ſanguine, bile variè temperantibus motores corporis.

In tripudia hinc exiliunt ſpiritus, nec acido nimis fixati, nec diluti nimis ſero, nec effrenati nimis bile, poſtquam citati hoc pacto in motum feruntur ad extra, & ſuo humorumque accito ſtimulo titillant artus. Accedit eorun-

rundem refectrix Musica, sive Æolica quædam strepat, aut Jonica; sive Phrygia alliciat modulatio & auriget inprimis trochaicum metrum; quis dubitat posse inde, sanguineum præsertim aut ebrium quodammodo, cieri in saltus?

Sed missis ebriis lustrare animus est, quos cogit morbifica saltare causa, ut exiliant & videantur κορυβαντιᾶσθαι, læto apparente, sed tristissimo spectaculo. Hoc ut feliciter vertat, supremum oro numen.

CAPUT I.

De nomine & definitione.

IN morbis si unquam fieri monstrositates (quod quidem *Averrhoës* asserit) verum est, horrendus sanè & admirandus, sed rarus affectus est, CHOREA S. VITI qui dicitur. In cujus paulò curatius inspecturo viscera primò omnium, quæ quidem afferri interest, nominis videtur saltim breviter operandum evolutioni.

Scilicet Choreæ S. Viti huic est affectui nomen: choreæ quidem, quæ vox Græca est, χορεία, ἀπὸ τοῦ χορῶ, quod propriè canentium & saltantium multitudinem notat, à verbo χαίρειν, *gaudere*. Sic Spartæ olim locus fuit Chorus dictus, in quo gymnopædiæ fiebant, & Apollini ducebant ephebi choreas, teste *Cæl. Rhodigino lib. 18. c. 5.* Adeoque Chorea tripudium signat ex cantu interstrepente quasi formatum & modificatum. Cum apposito autem Chorea S. Viti vocatur à sancto quodam ejus nominis viro, qui & imprecando id olim mali affricuisse terris & exoratus inde usque sanâsse superstitiosè creditur.

Et hic forsan Presbyter ille ipse est, quem Tarentinus iste nauta exposuerat *Tudecio Anno IX. Eph. Germ. Obs. 116. p. 281.* esse sui, quod nuper tripudiâsset, triduani & frequentis adeò suæ genti maledicti tripudii autorem; quamvis alia & verior subesset, ictus Tarantulæ, causa. Hic est, cui *Horstius lib. 2. observ. 45. pag. 119.* scribit sacellum dicatum in Ulmensium finibus, & confluere ibi spe sana-

ſanationis ſaltaturas quotannis mulierculas prurientes multas. Hic eſt, cui & propè Ravensburgum, oppidum Sueviæ, mons dicitur cum impoſito templo ſacer, quem itidem frequens olim tripudiantium turba viſitavit. Vid. *Camer: Hor: ſubciſ. Cent: II. c. 81.*

Dantur etiam alii vel ſaltus, vel convulſivi motus, quos quidem conſvetudo noſtræ conciliavit notioni, de quibus quid ſentiendum, inferiùs expoſitum ibimus.

Dicitur aliàs *morbus S. Modeſti*, neſcio, à quo vel S. viro, vel idolo, qualium ſuperiora ſecula fuêre feraciſſima. *Platero Obſ. lib. 1. pag. 85. Joh. Rudolpho Camerario Sylloges memorab. & mirab. Cent. XI. part. 84.* & aliis *Saltus S. Viti* audit, quod cum noſtro coincidit & ex rei naturâ depromptum nomen eſt. *Freigio Quæſt. phyſ. lib. 24. de nat. popul. fol. 592.* Morbus S. Viti vocatur, largiùs ſumpto vocabulo pro eo, quod modo corpus quocunque p. n. afficit. *Paracelſus choream laſcivam* appellat, quia ſolo eam credit imaginationis vitio fieri, item *Vitiſtam, de Morbis ament: Tract. I. cap. 3. Monavio Epiſt. Scholz. 200. fol. 329. triſtis ſaltatio* dicitur, quòd rei gnaris ob miras agitationes & exquiſitiſſimas defatigationes itemque alia inſanæ mentis ſpecimina triſte præbeat ſpectaculum. Aliis *malum S. Viti* lubet nominare, quia bono microcoſmico adverſa oppido eſt ac pernicioſa.

Quid? quod ſtupendis talismodi & abditæ cauſæ φαινομένοις perplexus *Monavius* idem hoc eſſe malum ſcribat *l. c.* quod τὸ θεῖον in morbis appellârit Hippocrates, quamvis intimam rei cognitionem non aſſecutus: adeoque cœlo vel deberi putat, vel ſaltim probari. Noſtræ genti dicitur S. Veits Tantz / vel S. Veits Kranckheit / & hoc ipſum malum illud eſt, quod frequens iſta, ſed dira tenet quorundam formula, quando vel irâ citati, vel per jocum incogitanter blaterant: Daß dich S. Veits Kranckheit! omiſſo per ellipſin vocabulo treffe / vel alio. Neque erit incongruum *Tarantiſmum* vocare, ſi ſit prægreſſus aliquando Tarantulæ morſus.

Sed nominalibus ſatis operatus ad realia me confero & definio Choream S. Viti, quod ſit *inſana & inſatiabilis ſaltandi libido, à ſpirituum animalium p. n. exſilitione in artubus inducta.*

Scilicet libidinem voco ad ſignificandam appetitus vehementiam pariter ac pertinaciam; neque genus occurrebat aliud, quod

tùm casibus quadraret cunctis, tùm causis esset, quas afferemus, singulis commune.

Ita namque & illos comprehendimus, quos actus exercitus omninò legitur frustratus, quale exemplum *Platerus* observavit. *observ. lib.* 1. *pag.* 92. ubi Principem quendam memorat Ecclesiasticum, vehementer cùm fuisset gravibus aliquot convulsionum quassatus momentis, cæpisse tandem ridere, corpus universum agitare, non aliter quàm lapsæ mentis errore pertinaciùs saltaturum. Imò, *addit*, invitâsse alios, ut secum saltarent; verùm non licuisse, ob adstantium & imminentium vim, nisi appetere avidè saltum inde usque ad finem vitæ.

Et in hoc puncto tùm phantasiæ error, tùm titillationis efficacia conveniunt; nisi enim nervorum affectio blanda fuerit, nisi titillationis sensu permulserit appetitum, imò nisi imaginationi ita commendaverit se quâcunque specie saltus, ut videatur non sine magno oblectamento, vel aliâ bonitatis ratione ineundus, nulla Vito chorea fiet.

Et insana quidem libido audit, quia mens simul laborat, nec sana est in sano corpore, sed si non quoad alia, sanè quoad hoc ipsum objectum sibi conceptum, ad rationis obrusam facto judicio fallitur.

Ob hoc ipsum quoque idem desiderium saltandi est insatiabile, ipso motu magis exilientibus spiritibus. Confer. *Dn. D. Præses, præceptor ac Patronus meus ætatem venerandus, Theorematum Med. Part. II. section. IV. §.59. pag. 68.* & *Pathologiâ parvâ MS.* Hæc ipsa verò libido si fine suo excidat, saltatione & tripudiis non consequentibus, saltim gesticulatione ac agitatione quâdam corporis seu universali, seu partiali se exerit.

Saltum ergò esse circa quem hæc versatur insana libido, ipse probat seu exercitus actus, seu vehemens saltandi nisus & postulatio, quæ sunt qui observarunt multi Autores, nominatim *Platerus l. c. Horst. l. c. Tulp. obs. lib.* 1. *c.* 16. *Epiph. Ferdin. Histor.* 81. *Ath. Kirch. de Magnetismo* &c.

Adeoque liquet, *Symptoma* esse, uti quidem amant Medicinæ statores loqui, *actionis depravatæ*, & quidem animalis, tum quoad sensum illum conceptum voluptatis, tum quoad motum inprimis inde consequentem, quorum uterque ἀμέτρως, καὶ ἀπρέπως accidit.

CAPUT

CAPUT II.
De Subjecto.

SOlenne Philosophis est, dividere SUBJECTUM inhæsionis in subjectum QUOD, & QUO. His si velimus insistere vestigiis, SUBJECTUM QUOD hominem asserimus, cui soli Medicinam, omnium præstantissimam artem, in nostro affectu deberi verum est.

Etenim quamvis bruta etiam & insecta dicantur nonnulla salire, uti v. gr. de vitulis, de capellis, de agnis & ipsis adeò Tarantulis constat, quibus de vide *Kircherum de magnet.* & qui ad idem negotium suum accendit de hujus lumine lumen, *Hafenreff. de cut. affect. pag. 505.* Quid? quòd *Epiph. Ferdinandus*, solertissimus Tarantismi scrutator, ictam à Tarantulâ vespam, cùm forte fortunâ cytharœdus adesset, qui, gratiâ experimenti, pulsaret cytharam, unà cùm Tarantulâ viderit circum circa saltare. Idem etiam de Gallo notavit idem *Autor*, qui fuerat à tarantulâ commorsus, *Hist. 81.*

Ille tamen vel innoxius saltus est & naturalis, vel nihil omninò refert, v. g. insecta saltare, vel si pecudes fuerint aut aves domesticæ à motibus talismodi insolitis & morbosis liberandæ, id boni pastoris erit, vel alius veterinariam callentis officium. Imò poterunt etiam sibi relinqui, ut, quam sanctissimus ipsissimi creatoris digitus in primâ rerum origine insculpsit naturæ, suam conquirant ipsæ medicinam. Adeoque circa hæc talia nulla Medicis curatio est; sed, quæ hominum sunt mala, ipsos sola tangunt. Vid. *Dn. Præs. Physiolog. Sect. I. c. 8. p. 19. & c. 9. p. 23. 24.* Unde & nostra hæc nisi ad hominem non pertinet speculatio.

SUBJECTUM QUO sunt spiritus, sensus illi ac motus omnis autores, quos duplici hîc considerare modo fas erit, prout nimirùm nunc patiuntur, nunc agunt, seu prout objecta eorumque ideas sensibiles nunc recipiunt, nunc secundùm destinationum idealium fines, uti loquitur *Helmontius*, motum efficiunt.

Nulla hîc mentis seu animæ rationalis affectio est, quia in se non nisi merus intellectus, sive lumen substantiale & intellectuale, verbo, quia ἀπαθὴς & stultescere nescia est; sed soli id omne sustinent spiritus,

tus, vel si mavis, anima sensitiva, quæ utique morbis est & amentiis obnoxia. Interim dolendus ærumnosus mortalium status, quod mens nimirùm sit alligata huic animæ sensitivæ: enti nempe impuro, concupiscentiis, illecebris & voluptatibus dedito, eoque tàm facilè mens immortalis assentiatur, quasi propriâ sui incuriâ jam æternùm dormiret, quæ sunt verba *Helmontii Tr. Dem. Idea* §. *28.*

Datâ autem spirituum alteratione, non potest non ipsa turbari simul massa sanguinea, imò ipsa prima potest sordes & ingentia impuritatum, ut cum *Helmontio* loquar, aluisse collegia, quæ extra sanguineos hinc alveos dilapsa inquinare demum spiritus, & imprimere iis, secundum eundem, exoticam phantasiam, in promptu est. Sic &, quod Tarantula mordendo infert, venenum quamprimùm rapitur per arterias ad cordis dextrum thalamum, & violentam seri & sanguinis dissolutionem molitur, vel saltim, robore naturæ digestum turbas has spiritibus hinc infert.

Quoad actum verò exercitum & ADÆQVATE artus, inprimis pedes, hinc totum adeò corpus organicum, requisitis ad motum subsidiis & adminiculis instructum, referenda ad hunc censum veniunt.

CAPUT III.

De Causâ immediatâ & mediatis proximioribus.

UT igitur affectûs plana sit & genuina ratio, in ea prius inquirendum autumo, quæ immediatè, hinc etiam quæ mediatè huc faciunt, proximiùs & remotiùs.

Præsuppono autem 1. Spiritus animales esse sensûs & motûs artifices; 2. Motum esse duplicem, unum qui ex imperio appetitûs rationalis vel sensitivi absolutè pendet, conceptus in phantasiâ & indictus membris, alterum, qui à stimulo partium sensibilium membranosarum in moventes musculosas inducitur; 3. Quicquid partes sensiles blandè ac suaviter afficit, titillationem ac gaudium ciere; 4. In gaudio vel voluptate verâ & quasi tali spirituum quasi dilatari, expandi & ampliari sphæram; 5. Pro modo verò afficiendi & recipiendi

nunc

nunc æquabiliter, nunc secus expansionem fieri. Hanc, quando res æquali quidem & placido motu, sed pusillis quasi momentis & tantillis insuper intercapedinibus afficit, ut sua momenta quævis comitetur nova spirituum expansio, & quasvis non minus intercapedines eorundem remissio, durante tamen novarum specierum affectatione. Illam verò, quando uno res prolixo vel breviori tractu suas affricat sensivis partibus molles æqualiter qualitates, nec nisi in longam moram desinit.

Unde licet haud difficulter colligere, IMMEDIATAM talismodi saltus, seu libidinis saltuosæ CAUSAM esse exilitionem spirituum, seu expansionem talem, quæ quoad ultimam irradiationis suæ sphæram protrahatur cum quadam velut interpolatione. Ratio ex præmissis patet, & exemplis maximè firmatur. Sic *Epiphan. Ferd. Histor. 81. c. 2. pag. 254.* senem memorat 94. annorum, impotentem alioquin, & qui se nullo modo absque scipionis adminiculo movere potuerat, tamen à Tarantulâ commorsum & auditis sonis Musicis, saltâsse solum & tripudiâsse veluti capreolum.

Inde etiam hoc clarum est, non esse hunc gignere saltum idoneum, quicquid spirituum dare exilitionem nescit. Tantum itaque abest, ut convulsivi motus, spasmodicæ membrorum tensiones, vel tensivi omnium artuum dolores propriè dicti, strictè sumpti, & sibi relicti, quandam ciere voluptatem & spirituum expandere hypostasin ad exultationem seu choream queant, ut potius in spatium angustius hoc pacto contracti subsidant & velut fugâ perculsi ac consternati, imaginationes tantum tristes & formidulosas induant, verbo tristentur. Vid. *Willis. de anim. brut. Part. 1. cap. 8.*

Attamen cum motus hic sit depravatus, cum exilitio sit morbifica, & cum irritatione licet blandius afficiente, cum æmuletur κλόνον, nil obstat, quin analogum quid convulsioni aliquando concurrere statuamus, præcipuè, cum in ipsis veris convulsionibus tremulum & velut subsultorium motum videre interdum liceat in praxi. Faciunt huc tum alia exempla, tum ab *Horstio* notata *l. 2. de morb. cap. obs. 45. p. m. 119.* Confirmat idem *Willisius l. de morbis convuls. c. 7.* & *Bartholinus* vocat sui generis convulsionem, *Cent. VI. hist. 35. p. 259.*

CAUSA MEDIATA PROXIMIOR adsignari potest titillatio quædam partium sensui & motui hinc consequenter velificantium.

Uti enim factâ in delicatioribus corporis partibus, plantis pedum, sub axillis, aliisque, per contactum latione variatum seu frictionem, titillatione, in partibus membranosis delectationis quidam, etiam ad molestiam usque, sensus exoritur, unde fibræ motrices ab excitatione velut spirituum subsiliunt, sus & de moventur, idque citatò; Ita in hoc affectu & similis quasi motûs specie eandem concipere licet mechanicam.

Cum ergò quales mores, tales humores; quales humores, tales spiritus; quales verò spiritus, tales quoque conceptus in phantasiâ liceat offendere, meritò id in nostro quoque casu attendendum venit. Hinc ut in omni motu, ita & in saltatorio hoc duo concurrunt: objectum, seu idea, phantasiæ oblata, & latio varia. Vid. *Dn. D. Præses Physiol. s. 4. c. 8. p. 299.*

In omnibus talismodi ægris concipere integrum est humorum vitalium, & hosce moventium spirituum perversum seu turbatum statum, exilientium vel ab externâ occasionali causâ, vel ab internâ. Illius vicem gerit decantatum tarantulæ venenum, quod phalangii genus est circa Tarentum Apuliæ frequens, unde & nomen obtinuit.

Notum namque est, Tarantatos, quos vocant, seu à Tarantulâ demorsos incumbere efflictim in saltus. Unde putandum omninò est, Tarantulas suo ingerere morsu per vulnus liquorem aliquem, velut vespæ vel apis ictum, si quis imperviâ ungue experitur, videmus liquidum post se linquere punctulum, acriusculi & mordicantis saporis.

Idem etiam hic fieri necesse est, & testimonio *Epiph. Ferdinandi* confirmatur, qui *histor. 81. c. 2. p. 254.* ipsæ feræ, *inquit*, minimam quandam substantiam in corpora dimittunt. Id quod & ipse affirmat *Galenus lib. 3. de loc. aff. cap. 7.* Imo ipsa Tarantiacorum tàm subita tamque vehemens alteratio, gestus, motus, & inprimis ictericorum æmulus color de injecto veneno abundè testantur.

Dubium verò est & disquiritur hinc inde, undè tot tantaque symptomata, tum seorsim saltandi effrenem libidinem excitandi illi vis sit. *Epiph. Ferd. l. c. Fracastorius de contagiosis morb. curand. lib. 3. c. 2. Scaliger Exerc. 185. Sennert. Med. Pract. lib. 1. part. 2. c. 17.* & alii communiter arcanam, occultam ac ἄῤῥητον quandam dicunt

ve-

veneni vim esse. Alii, quos inter fuêre *Albertus Magnus* & *Xantes Ardoines*, culpam hanc rejecêre omnem in veneni frigiditatem. Cui etiam *Cardanus* addictus opinioni videtur, quando *lib. 9. de subtilitate* Tarantatos scribit non nisi lethargo occupari, qui sit unà cum frigidissimo veneno discutiendus saltibus.

Minus hi satisfaciunt animo sciendi avido, nam juxtà πολυθρύλλητον illud *Hippocratis lib. de antiqua Med.* non siccum æquè, non humidum, non calidum, non frigidum, neque aliud quicquam ex his hominem lædit; sed quod in unoquoque forte & naturâ humanâ potentius est, quodque non possit superari, hoc ipsum lædit. Melius rem explicant recentiores, & inter hos laudatissimus *Helmontius*, qui *Tract. Dem. Idea §. 36. & Tr. Jus Duumviratus §. 40. it. Tr. de Concept. §. 21.* vim phantasticam nativam, characterem idealem, seu singularem & deliram veneni Tarantulæ phantasiam, quam isthoc in nos introducat, incusat. *Athan. Kircherus de arte Magnet.* peculiarium hoc venenum in phantasiam insidiarum insimulat; motis scilicet & turbatis humoribus, iisque ad caput elatis, primùm spiritus, deindè phantasiam invadere: hinc denique spirituum ope, juxta conceptas in phantasiâ species, pro ratione individualium hominum temperamentorum humores totius corporis agitare. *Grubius in de Ictu Tarant. Sect. I. Art. 3.* pro causâ affert fermentum in sale volatili peculiari ac venenato residens.

Ex horum hypothesi statuo esse in veneno Tarantulæ sal quoddam volatile, acre, quod humores alterare abundè possit, & iisdem motum fermentativum inducere; illustrari verò id ipsum potest, si lumen aliquod seu ideam inesse eidem concipiamus. Nimirùm ideæ, cùm se instar luminum habeant, penetrare alias aliæ possunt. Sic & venenum Tarantulæ ideas continet, peculiari ac individuante determinatione ad saltum disponentes, quarum cùm advertunt spiritus animales præsentiam, primò fugiunt & conveniunt quasi ad regiam, ubi conjunctis viribus novum excipiunt, suis qui successit sedibus, hospitem, cujus si superent vires, si habeant jam, quas volvunt, validiores ideas, frustrà hic hospes seu veneno tincta idea instat. Interim tamen, relictis aliis corporis officinis imò totâ machinâ humi prostratâ, in hâc toti hærent, peregrinâ ideâ, & dum hanc u-

nicè ſpeculantur, fit, ut iſtius omnem penitùs recipiant, niſi plauſibilitatis, ſaltim pavoris ſpecie, imaginem, unde, datâ inprimis aptâ ſymphoniâ, rapiuntur illicò ad ideæ hujus, quæ neſciis ſe & clanculùm inſinuavit, inſtinctum. Occupati verò ſic & corrupti ſpiritus ſuas hinc ingerunt ipſi phantaſiæ ideas, quæ ſpirituum occœcata ſtigmate, nunc vela vertit, prout idea noviter concepta impulerit: unde non poteſt in obſeſſam ita ſenſitivam, ſeu, cujus hæc eſt primaria facultas, phantaſiam mens ampliùs lucere. Iſthæc itaque rectrice deſtituta, procellas movet tumultuarias, ſuámque tempeſtatem ſenſim in voluntatis capſam attollit.

Poſtquam autem ſe ſigillavit hoc pacto idea dementifica ſeu ſaltatoria in archeo, ex ſymbolo tunc altiùs penetrat & in actum, velut vitam, ſe diſtendit continuò vel repetitim. Vid. *Helm. Tr. Dem. Idea*; *Tr. De ideis morboſis*, *Tr. Ort. imag. morboſ. Tr. de Conceptis &c.* Unde ſunt, qui quinque, decem, quindecim, viginti, viginti quinque, & triginta annos eo quotannis tempore, quo primum fuêre morſum experti, ſaltant. Imò ſunt, qui uno bis ſaltant anno, vel quia binos eodem anno perpesſi morſus, vel quia culpâ tibicinum primo citò nimis ac intempeſtivè fuerunt ſaltu defuncti.

Pertinent huc etiam alia, ſanguis, lac, itemque cerebrum brutorum, quæ ſecundùm ſeminales ſuas ideas, niſi ab archeo humano ſubigantur, & deſtruantur plenariè, abſurda obtrudunt phantaſmata. Sic ſcribit *Weinrichius lib. de monſtris. cap. 15.* puellam Vratislavienſem epilepticam, hauſto felino ſanguine, geſtus, vocem & ſaltus induiſſe felinos. Eſt namque in ſanguine ſpiraculum vitæ, ſpiritus influus, inſitis & ſpecificis ſpiritibus, qui ſunt ideæ, ſigillatus: unde etiam eſt, quòd Deus omni animalium ſanguine interdixit Judæis. *Mœbius Epit. Inſt. lib. 2. part. 2. cap.* 11. quendam lacte caprino nutritum, cùm adolevisſet, ſemper ſaltare ſolitum immoderatiùs, & plantas caprarum more arrodere, refert. Vid. & *Sennert. Inſt.*

Uti verò ab externo talismodi fermentativo veneno ſpumaſcentia ſeri ſtato velut tempore in ὀργασμὸν citanda, & ſpiritus motorios ad exiliendum citans oboritur, quod ſuo exemplo tarantati ſatis demonſtrant; ita & citra talem extraneam cauſam idem contingere poſſe & obſervationes & ratio teſtatur.

Inſtar

Instar omnium sit exemplum apud *Horstium* loco allegato *p. 112.* laudatum, quale & speciatim, ex observationibus *B.D.Widmarcteri*, Archiatri Isenacensis felicissimi p. m. notavit *D. Præses.* Vidit nempe ille choream S. Viti, licet non semper in gyrum, per aliquot hebdomadas Isenaci in filiâ X. annorum Joh. Albrechts / subulci. Tacemus observata à *Tulpio lib.1. observ.16. Bartholino, Cent.IV.hist.35. Platero, l.c.* & aliis.

Quando enim M.S. inprimis serum, salibus peregrinis, volatilibus, modò alcalinis, modò acidis plus minùs, correctis tamen & mitificatis per admista alia, scatet, inde si blandè membranosæ afficiuntur vel ipsæ nervosæ artuum inprimis partes, titillatio & quoddam quasi animale gaudium excitatur, dilatantur animales spiritus, ipse sanguinis *ὀργασμὸς* sequitur & turgescentia, unde secundum titillationis vel similem conceptam ideam veluti ad tripudii numeros motus fit. Quin videmus talismodi quid toto die in ebriis, vaporosis & subtilibus vini particulis volatilibus in motum consimilem citantibus spiritus. Atque hæc ipsa est saltuosa membrorum dispositio *Paracelso*, & aliis laudata. Vid. *Plat. Prax. lib. 1. c. 3.* Talibus enim moti spiritus illecebris & elati imaginationes jucundas ac placidas cient, ipsumque adeò systema nervosum, vegetiùs actuantes, oculos, ora, manus, unaquæque membra emicare & quasi exilire faciunt. Vid. *Willis. de anim. brut. part. 1. c. 8. p. 71.*

Utroque casû primariam fabulæ partem ludit phantasia. Postquam enim circa objecta in ideâ concepta, licet absentia, variè ludit, nunquam cessat, si idea grata se obtulerit, quæ se suavitatis quâdam specie commendat, solam illam efflictim volvit & constanter, componens insuper affines alias ac dividens, ut, ubi suam interim in archeo vel spiritu sigillavit imaginem, datâ occasione motum, quem suâ determinat concepta idea, impellat, mandet, dirigat. Eleganter *Willisius de anim. brut. part. 1. c. 8. p. 67. 68.* quamprimum, ait, imaginatio amplectendum quicquam aut aversandum concipit, illicò à spiritibus cerebri incolis in seriem ordinatis appetitus formatur: dein impressione ad præcordia transmissâ, prout ista aut dilatantur, aut contrahuntur, sanguis in varios fluctuationum motus adigitur, & dein appetitus instinctu ad nervos appropriatos transmisso, motus respe-

ctivi eliciuntur. Conf. quæ *Paracelſ.* habet *de morbis amentium Tract. I. cap. 3.* Et impreſſis talismodi falſis ideis virtus imaginationis, inquit *Bartholinus de luce hom. & brut. lib. 1. cap. 22. p. 198.* inhæret magis, quàm externis etiam veriſſimis. Videatur & *Kirch. Scrut. peſt. Sect. II. c. 1.* Sic *Galenus* Melancholicum refert merâ inductum imaginationis perſuaſione tubicines clamâſſe in angulo, qui tamen nusquam neque picti fuerant, neque ſcripti aut canentes.

Phantaſia hinc, teſte *Helm. Tr. de ideis morboſis, §. 2.* ſigillifera virtus eſt, vocaturque hactenus imaginativa, quod formet rerum conceptarum imagines ſive ideas, easque in ſpiritu ſuo vitali characteriſet, fiatque proindè iſta idea ens ſpirituale, ſeminale potensque ad perpetrandum res magni momenti. Ita namque imbuti ſpiritus deinceps impares fiunt exequendis aliis muniis; nullus poſthac eſt mentis reſpectus, nulla obſervantia; ſed ſi modò levis occaſio ſe offerat, ſi ſubleſtus ſtimulus accedat, qui turbare eos quicquam tentat, feruntur ſuo ingenio huc illuc, quò ſe cunquè trahit ideale ſigillum, cum impetu, non aliter

ac ſi carceribus ſeſe effudêre quadrigæ,
addunt ſe in ſpatium, & fruſtrà retinacula tendens
fertur equis auriga, nec audit currus habenas:

eò quod ſemel concepta idea, ſecundum *Helm. Tr. de id. morb. §. 5.* ſigillum ſit ad determinatas tantum res agendas. Adeoque verum eſt, quod idem *ibid §. 37.* ſcribit, archeum à nemine majorem pati injuriam, quàm à ſemetipſo. Confer, quæ *Idem Tr. Ort. imag. morboſ. §. 2.* habet.

CAPUT IV.

De Cauſis mediatis remotioribus.

PErgo ad REMOTIORES CAUSAS, quas inter primùm juvat NATURALES luſtrare, in ſpecie TEMPERAMENTA. Cumque noſter fundetur in dilatatione ac expanſione ſpirituum ſaltus, ſuâ ſponte patet, non eſſe niſi illud temperamentum huic aptius affectui, quod in ampliationem ſpirituum pronum magis eſt, vel quod particulas ſulphureas & humidas delicatâ obtinuit ſeu quantitatis ſeu qualitatis

men-

mensurâ junctas; nec minus, quod sulphureas habet serosis multum superiores, verbo: sanguineum & biliosum. *Freigius l. c.* scribit: in inferiori Germaniâ nulli ferè ab atrâ bile furiosi, sed à sanguine, quod genus furoris vulgus morbum S. Viti appellat. Deindè textura corporis & partium, si laxa nimis sit vel densa, huc multum facit. Cutis nimirum & corporis densitas id habet incommodi, ut transpirationis impediat negotium, adeoque, exesse quæ debebant, vel extirpari per has portas, salia sylvestria, inutilia, stagnent hinc, regurgitent, ac massam sanguineam & laticem inprimis inquinent, vel torpidum inde, vel efferatiorem futurum.

Maximè verò laxus cerebri status huic velificari calamitati potest, seu recipiendæ sint objectorum species, seu judicandæ, semper incommodus. Præclarè hanc in rem *Barclajus Argen. lib. 1. c. 14.* Sunt, *inquit*, in ejusmodi hominibus laxa cerebri claustra, suâque tenuitate nimis apta recipiendis imaginibus rerum, quas vocamus phantasias. Has in rarâ illâ substantiâ, & suâ levitate quocunque impellatur obnoxiâ, semel impressas, ideo delere est arduum, quia utplurimùm aliqua suavitate placent & præterea veluti intingunt animum, non aliter quam per vehementiùs succedentes diversarum rerum species in alios colores abiturum. Vix est igitur, ut illa ingenia unquam vacent; semper immodicè ex irruentium cogitationum impetu aut ægra, aut hilaria. Quod si in aliquem potissimùm affectum isti homines cœperint inclinare, hunc assiduum habebunt in animo, hunc præsentem mentis oculis dulci studio alent; seu ille superbia erit, seu habendi cupiditas, aut impatientia ultionis, aut quicquid aliud turbidæ cupiditates objiciunt. Ita spontè inclinati, si vis aliqua vehementior in eam partem ingruit, facilè perturbantur; ut quod diu esse voluerunt, tandem esse existiment; nec jam illæ in domito & assueto animo imagines, rem ut optabilem, sed ut veram & præsentem figurent.

SEXUS æquè est huic uterque symptomati obnoxius, inprimis fœmineus, cui est & major ferè morbificarum sordium apparatus & ἀῤῥωστία διανοίας familiarior, & manere domi, in Italia præcipuè, ubi tamen Tarantulæ & in pomariolis quidem, quæ sunt quibusvis ferè domibus vicina, pullulant abundè, solennius. Imò quod hic

hic eſt per veſtimenta ſua Tarantulis & aliis magis obvius injuriis. Facit huc omnis ÆTAS, maximè verò juvenilis, qui eſt tùm imaginandis, tùm his quibuscunque patrandis rebus idoneus magis, teſte utriusque experientiâ. Vid. *Epiph. Ferd. l. c. Paracelſ. l. c.*

DISPOSITIO quoque HÆREDITARIA ipſa attendi hîc meretur, quatenus talismodi petulantes ideæ contaminarunt archeum viſcerum in parentibus; vid. *Helm. Tr. de morb. archeal.* §. 15. 16. Tarantatum tamen negat *Epiph. Ferdinandus l. c.* generare Tarantatum.

Ex SUPERNATURALIBUS *Deus* præcipuè eminet, quem penes ſalus noſtra eſt & infelicitas; quem nihil fugit, ne jactura quidem pili; qui juſtus eſt virtutum fautor ac ſcelerum vindex. Unde non poteſt non fieri, ut contrahat aliquis, ſuſpicante *Monavio loco ſuperiùs citato*, propriâ ſibi & peculiari laſciviâ atque petulantiâ pœnam hanc delicto conformem. Vid. *Plat. prax. l. c.*

Diabolo nullum in nos invitos jus aut imperium eſt, niſi peculiariter permittente Domino, verba ſunt *Helmontii Tr. de inject. mater.* §. 13. Id quod omninò verum eſt; ſi verò indulſerit Deus, iſte nihil non noxarum intentat homini malus genius. Concedamus, ſcribit *Williſ. de morb. convulſ. c. 7.* admiranda in corpore humano pathemata à diaboli præſtigiis ſæpenumerò produci, quatenus nimirum iſte, pro mirâ, quâ pollet, agendi ſubtilitate, animæ ſenſitivæ, ſive ſpirituum animalium ſyſtaſi, atomos ſive corpuſcula heterogenea inſinuat, adeoque functionibus ejus modò ſtimulos addit, modò vincula injicit, modò eas in perverſum rapit: quin etiam aliquo modo ipſe corpus humanum ſubit, & quaſi altera anima potentior ei coëxtenditur; ſingulas partes & membra actuat, vigore inſolito inſpirat, ac pro lubitu ſuo regit, ac ad facinora immania & ſupernaturalia perpetranda incitat. Quid vulgatius eſt, ac corrumpi hoc pacto phantaſiam lamiarum, ut ſive unguento certo delibutæ, ſive aliis præſtigiis faſcinatæ choreas nocturnas ſomnient, ipſoque corpore ſuo exprimant?

Inter NON-NATURALES, AER calidus & ſiccus, ſive æſtivus ille ſit, ſive ſitus rationem & elevationem poli ſequatur, cauſarum noxium cumulum ad producendum hoc monſtrum ſymptomatis augere utique poteſt, quatenus tùm per cutis poros quaquà verſum pene-

penetrans, tùm in pulmones inſpiratus ſanguini ſe jungit, & quas ſuo occulit in tumido ventre, heterogeneis, ſulphureis, ſalinis atomis eum in turbas agitat & fermentationem. Sic & frigidus poteſt & humidus ac paludoſus huc facere remotè aër, ille morboſæ cumulandæ colluviei, hic verò putredini favendo & vappeſcentiæ humorum. Non parum etiam Schematiſmos cæleſtes ad conſtitutionem corporũ conferre, præter Aſtrologos, *Crato* ſcribit *Epiſt. 102. fol. 177.* id verò ex ☽ & ☿ii tum inter ſe, tùm cum aliis, ♄ vel ♂, inprimis in ♈, configuratione ſiniſtrâ communiter deducunt. Ita enim mediantibus humoribus ſpiritus ad varia deliria & phantaſmata, ut alia non attingamus, diſpoſiti innuuntur.

CIBUS & POTUS qualis & quantus ſumatur, multum intereſt. Ut enim ſine Cerere & Baccho friget tum Venus, tum in genere ſpiritus; ita quæcunque his motum conciliare, vel ideam imprimere peregrinam poſſunt, huc faciunt, ut victus plenior & largior. Sic cibi calidi qui ſunt & ſicci nimis, ſaliti, infumati, acres & alii tales, imò aromata ipſa à cacochymicis & ſcorbuticis v. gr. frequentata par poſſunt nocumentum afferre. Sic vinum etiam meracum, item ſpiritus vini, ſeu aqua vitæ, quam vocant, hauſta copioſiùs, huic queunt præparare locum ſymptomati, exemplo ebriorum, qui, paribus temperamento, moribus & cœteris, ad ſaltum facilè deviant. Videas hinc delirantes alioquin quietos, novis accendi ſtimulis ſimul ac ſpirituoſa talismodi hauſerint. Poſſunt & alia huc referri medicamenta vel alimenta medicamentoſa, nimis uſurpata, v. gr. ſaccharata, fumus tabaci, acria, volatilia, halituoſa, quæ caput & humores turbando motibus inordinatis & choreæ anſam præbere poſſunt.

Nec poteſt VIGILIARUM inprimis hîc excuſari intemperantia, quia bonos abſumit & benignos humores; unde vigiliæ continuatæ ut deliriorum ſunt mater, ita & ad choream hanc aptos diſponunt ſpiritus.

Idem ferè MOTUS nimii eſt vitium, quòd blandum ac mite ſerum, ſpirituum vinculum, diſperdat nimis, unde ſaltationes frequentiores, factâ quaſi mutuâ concertatione & provocatione, multum huc conferunt. Hinc neſcio an ſacro furore, ut fingebant, Corybantes olim, capita ſaltando jactantes, cymbalaque pulſantes alios in ſimilem ra-

biem, an motu potius turbinato se ipsos in furorem egerint; de quibus legi potest *Strabo l. 10. geogr.*

EXCRETA si non sequestrent debita, mirum quantum huc conferunt, quatenus fermentum & consequenter ideam peregrinam facilè humoribus & spiritibus inducunt. Inprimis memoranda hîc sudores, menses, & semen retenta; Cùm priora enim exacuere & turbare spiritus norunt, tum inprimis ultimum. Redundat inde in serum & spiritus ὀργασμὸς, ut citentur œstro & in furorem seu choream lascivam inclinent. Sic *Epiphan. Ferd.* refert *l. c.* ex longâ Veneris abstinentiâ sævire magis Tarantatos, & hanc reddit causam, quod semen retentum corpori sit tanquam venenum, adeoque in corpore reduplicentur venena. Confer. *Galeni lib. IV. de loc. aff. c. 5.*

AFFECTUS ANIMI quoque insontes hîc omninò non sunt: v. gr. desiderium Veneris exquisitum, & aliquando spes sanitatis recuperandæ sunt quasi tympana ad choream hanc compellentia: unde Veneris qui stimulis aguntur, ob perpetuam spirituum effusionem in quasvis libidines pronissimi sunt, maximè si sic tulerit occasio, vel venenum compulerit, in saltum, tanquam scopo viciniorem. Amor enim & salituriendi pruritus conjungi facilè possunt, imò amant. Sic virgines refert *Epiph. Ferdinandus*, miscuisse subinde saltibus obscœnos libidinis gestus & desperationis quædam indicia, manifesto argumento, custodire secum soliciti & ad desperationem ferè adigentis amoris, atque saltandi cupiditatis copulam.

Contra ea quibus de meliore luto finxit præcordia Titan, & pudor ac verecundia insedit magis, pudendam hanc, quamvis cum internecione ferè suâ, detrectant choream. Sic alii, quos quædam acerbior occupavit tristitia, non cedunt titillantibus veneni stimulis, sed suo genio lugendo, lachrymando, ululando impensius litant, usquedum apta chordarum vis horum magis juvet aditum, ac istam non nisi ægrè migrare faciat. Singulare ac mirabile exemplum in *Epist. Scholz. 200. p. 329.* extat, quo duæ dicuntur saltationibus continuis exanimatæ puellæ miscuisse subinde sobrias devotasque Deo preces, quibus credendum est impressam adeò pietatem ac Dei amorem fuisse, ut ipsa nequiverint phantasiæ stigmata illum obliterare.

Plurimum hîc etiam *pavor* ac *imaginatio* potest, v. c. si imprecatio, si ictus Tarantulæ facta fuerint. De illa res, puto, clara est,

quam

quam non credo nisi forti ac pavidâ imaginatione, aut omnipotenti digito deduci in actum. De hoc autem sic habeo mihi persuasum, fore utique, ut multi minimè saliant, ut potius, melancholici inprimis, iracundi, pugnaces &c. secundum suam quisque indolem, tristentur, ferociant, pugnent saltim; nisi valida inhæreat simul sed vana animo persuasio, esse necessariò Tarantato saltandum. Inde etiam est, testimonio *Epiph. Ferdinandi*, quod multi suo nequeant defungi priùs saltu, quàm istum redierint saltando ad locum, ubi ictum passi. Scilicet opinio est, *morta la bestia, morto il veneno*, occisâ vel mortuâ Tarantulâ mori etiam venenum, & consequenter cessare saltum, unde locum affectant, qui demorsos habuit primus, necem intentantes sui effectrici saltûs Tarantulæ; sed frustrà. Imò ausim dicere imaginationi quoque ex parte deberi recursum annuum, eumque velut statum affectûs, cujus tamen potissima causa est seri nova spumascentia, siquidem notum est hoc ipsum si peregrina susceperit μιάσματα, nec archei imperio æquè auscultet, ad macrocosmi modulum magis inclinare, & hujus exprimere mutationes. Accedit, quod mensibus calidioribus, Junio, Julio, Augusto, & fervente Sirio faces ad saltandum accendi magis legantur.

Tandem ad PRÆTERNATURALES descendimus CAUSAS, quæ quidem hîc magni momenti sunt. Attendi meretur *viscerum ἀτονία*, præsertim splenis, de quo vulgatum illud notum est: splen ridere facit, seu pro seri, quod idem dispensat, statu affectus lætos vel tristes visi; *vasorumq́ʒ contumaces obstructiones*, atque adeò *mali hypochondriaci* atque *scorbuti* vitia, de quibus videatur *Willisius de morbis convulsivis c. 9.* Inprimis *Melancholia*, quæ salium est admodum fertilis, & ἀρρωστία τῆς διανοίας incurrunt hîc reprehensionem. Sic dantur ad quemvis fidium strepitum qui moventur, nutant, gesticulantur, subsiliunt, &, nisi saltandi venia sit, saltim pugnis & pedibus cantilenæ rhythmum explicant, nulla aliâ ex causâ, quàm quod tenellos ac delicatos indepti nervos ex talibus oppidò sentiunt titillationem, quæ quidem rationis debebat ac judicii pondere obtundi; verùm hôc cùm deficiant, ruunt facilè, quò fert sensitivus appetitus.

Cumque duo potissimum in affectu hoc concurrant, vitium appetitus & motus, velut affines morbos huc facere claret tum deliria

 media,

media, citra furorem, citraque tristitiam, (illa enim dari experientia toto die confirmat,) tum motus spasmodicos.

Pertinent ad hanc classem, quos *Bodinus* refert *Method. histor. lib. 2. c. 4.* ad lascivam & inconditam saltationem furorem impulisse; Item quorum ingentem magnitudinem anno 1373. *Ludov. Maleanus* scribit, *Annal. Flandr. lib. 14.* venisse ex finibus Rheni & Mosæ in Flandriam, qui gregatim choreas duxerint, ac indesinenter cantârint, saltârint, haud secus ac furiis essent agitati; Nec non quam ex *Petro Præmonstratensi* memorat *Camerar. Hor. subcis. cent. 11. c. 81.* venisse circa idem tempus ex Aquisgrano in Hannoniam atque inde usque in Franciam mirabilem sectam, tam virorum, quàm mulierum, præter omnem verecundiam chorizantium, qui videbantur sibi in sanguinis saltare flumine, quamvis adstantes nihil tale adverterent. Hos omnes videtur phantasiæ seu imaginationis gravis error habuisse, quanquam etiam de diaboli fraudibus suspicari liceat.

CAPUT. V.

De Differentiis.

Ex recensitis hactenus non difficulter erui possunt differentiæ morbi variæ, v. g. ratione GENERIS, Chorea S. Viti alia est *continua*, quæ vel ad ipsum saltationis terminum continuâ duratione producitur, vel saltim inevitabili dormiendi necessitate interpellitur. Talis est, quam observavit *Platerus Obs. lib. 1. p. 85.* Talis quoque est, quam *Tulpius* notavit *Obs. lib. 1. c. 16.* Alia *periodica* est, quæ singulis vel annis, vel mensibus aliisve temporis mensuris repetit, qualis illa mulierum fuit apud *Horst. l. c.* & Tarantiacorum ferè omnium est saltatio.

Ratione SUBJECTI, alia *essentialis* est, cujus in spiritibus hæret & ipsa phantasia focus; alia *dependens* seu *sympathica*, quæ sanguinis magis massam vel viscus aliquod vitiatum sequitur. Alia item *Virorum*, alia *mulierum*. Alia *Juvenum*; alia *Senum* est. Alia *universalis*, quoad totum corpus, alia *particularis*, quoad manus, vel pedes; quò MALLEATIO spectat à *Tulpio* observata. *l. 1. Obs. cap. 17.*

Ratio-

Ratione Causarum alia *naturalis* eſt; vocando id naturale, quod captum humanum, ſive præternaturale illud ſit, ſive non-naturale Medicis, non ſuperat. Tales ſunt, quæ vel à morbo alio; vel ab imaginatione depravata; vel veneno Tarantulæ dependent. Alia *ſupernaturalis* eſt & *mirabilis*, quæ vel à *Deo*, ſi quis ſaltando deliquerit, velut *Platerus Prax. lib. 1. c. 3. p. 89.* monet; vel à *diabolo*, qualis forſan furor *corybantæus* fuit & Saliorum, Martis ſacerdotum, vel per faſcinum *à ſagis* immiſſa habetur.

Ratione *accidentium* alia *ſolitaria* eſt, quæ ſola ſuam agit tragœdiam; alia *comitata*, quæ alios habet vel morbos, vel animi affectus ſupra memoratos, comites. Ut taceamus variare quoque hanc choream ratione muſicæ, tum in genere, quatenus vel ſine eâ fit, qualis mulieris illius Baſileenſis fuit, & volatici iſtius hominis apud *Tulpium*; alia cum eâ agitatur. Sic *Horſtius l. c.* ſcribit, fuiſſe organon quoddam muſicum in Viti iſto ſacello, quod in gratiam illarum prurientium mulierum pulſari ſueverit. Sic omnes ferè Tarantati ad ſonos muſicos ſaltant. Tum in ſpecie aliâ ad *cytharæ* ſtrepitum, aliâ ad *tibiarum* flamen, aliâ ad *tympanorum* vel *campanarum* ſonum; aliâ ad *tubarum* clangorem & ipſam *bombardarum* exploſionem adornatâ. Et id quidem nec loco uno, aliis in oppidis vel domi, vel per plateas publicas ſalientibus; aliis extra mœnia, vel per agros, vel per publicas vias magis, prout ſua quemque amabilis inſania ludit.

Caput VI.

De Signis diagnoſticis & prognoſticis.

PRiusquam verò ad Curationem nos accingamus, ſuis oportet ex omnimodis ſignis eruamus genuinum affectum, ut medelas deinde proſper eventus ſequatur; ignoti namque nulla eſt curatio morbi. *Imminentem* itaque riſus, ridiculæ geſticulationes, ut & membrorum inquietudo ac artuum inprimis ſive titillatio, ſeu repetente annuo tempore tenſivi dolores prædicunt, uti *Horſtius l. c.* teſtatur, propriâ mulierum, quas allegavimus ſuprà, edoctus confeſſione. Sic *Plate-*

rus Obs. l. c. scribit, Principem quendam risisse prius & universum corpus in lecto agitâsse, quàm isthanc saltandi insanam libidinem præ se tulisset.

Eadem ferè instantis Tarantismi indicia apud *Epiph. Ferdinandum* (hic namque ceu testis magis oculatus unus ferè est instar omnium) sed recidivi sunt, non primi: hujus namque non est nisi ictus Tarantulæ argumentum, & succedens utplurimùm dolor, frigus totius, crurum labefactatio, & quæ *Hafenreff. de Cut. aff. lib. 3. p. 476. & seqq.* ex *Athan. Kirchero* quamvis diversa longè ab iis, quæ notavit αὐτόπτης in domestico malo *Ferdinandus*, recenset alia.

Præsentem significant utrobique 1. ESSENTIALITER INHÆRENS, ipsa insatiabilis adeò saltatio; nonnunquam sola tripudiandi cupido, totiusque corporis motitatio subsultoria & saliaris urget, validis circumstantium brachiis interclusa.

2. ESSENTIALITER CONSEQVENTIA sunt varia concurrentia symptomata, & quidem, inter *actiones læsas animales*, primò omnium mentis se offert alienatio, quia dies noctesque nonnulli saltant ad plantarum usque pedum excoriationem, quod *Platerus* in muliere observavit *loco suprà citato*. Adest omne delirii genus, inquit *Ferdinandus l. c. p. 256. 259.* Adest dolor, pruritus vel titillatio, quod perpetuus artuum motus & jectigatio indicat per ipsum etiam cibationis aut somni momentum constans, quod *Platerus* in eâdem fœminâ notavit. Quandoque etiam vertigo adest, inprimis in Tarantatis, & contumaces vigiliæ, item priapismus, nonnunquam febris, surditas, visûs diminutio & alia adsunt. Huc quoque Musicæ pertinet ingens desiderium, clamor, cantus.

Vitalium actionum symptomata fere hæc notantur: lipothymiæ, si defatigatio nimia fuerit, aut intempestivè destituerit Tarantatos musica, teste *Ferdinando pag. 254. Alex. ab Alex. Geneal. dier. lib. 2. c. 17.* Pulsum, non invenio, qui expertus fuerit, procul dubio verò celer erit & magnus, ipsi conformis spirituum tumultui.

Ex *Naturalium* classe adsunt inappetentia solidi inprimis: vinum enim ferè omnes bibunt Tarantati maximè, teste *Ferdinando*. Item nausea hos affligit, atque materiæ pallidæ, nigræ, rubræ, viscosæ, crassæ, vitellinæ, & nonnunquam velut telæ aranearum vomitus quandoque;

cibi,

cibi, ſi quem ceperint, ferè nulla eſt digeſtio, alvus nunc dura, nunc fluida, ſeminis profluvium, lacrymæ adſunt.

In *Excretis*, præſertim in Tarantiſmo, urinas vel retineri, vel aquoſas obſervavit *Ferdinandus*: imò nonnunquam & in his ineſſe velut telam aranearum. Idem quoque in fæcibus viſi ſcribit, aliquando ſudorem notari frigidum. In *qualitatibus mutatis* oculi Tarantatorum atque adeò cutis omnis velut ictericorum flavet, ſunt tamen, quorum etiam oculi rubent; loca icta his rubent, iſtis nigricant, illis livent, prout vel venenum, vel ægri temperamentum ferunt. Membra præter genitalia extenuantur macie, lingua ingroſſatur, ventriculus inflatur, corpus friget &c.

3. Ex fonte CAUSARUM huc faciunt prægreſſa varia, quorum cognitio ex indagatione ſolicitâ non erit difficilis; licet in Apuliâ à Tarantulâ ſæpe inadvertenter demorſi ex hoc potiſſimum effectu dignoſcantur. Ubi verò vel non reperitur eadem beſtiola, vel minus noxia, de aliis cauſis cogitandum eſt. Ita enim 4. ANALOGISMUS quoque id deteget magis, comparato ægro vel ad *ſimiles*, quorum lymphatam mentem expoſuimus, vel ad *ſeipſum*.

Sed cum alii quoque dentur motus vel tremores, qui cum Chorea S. Viti quâdam affinitate gaudent, vel vulgò reputantur pro iisdem, ſecus tamen habent, è re erit, certa quædam ex ſignis memoratis eruere κριτήρια, quibus ea æſtimare infallibiliter liceat, in quo & quantum differant. Scilicet Chorea S. Viti inſana & inſatiabilis libido ſaltandi eſt, adeoque differt à *Melancholiâ errabundâ*, Arabibus Kutubuth dictâ, quâ homines ne horam quidem in uno loco quieſcere poſſunt, ſed hominum conſortia fugientes, hinc inde continuò vagantur, quò verò vadant, neſciunt. Deinde differt ab illis caſibus, ubi hic vel ille artus vehementer motus ac tortus difficilem vel reddit, vel impellit inceſſum, qualem *Grubius* notavit *Tr. de ict. Tar. Sect. I. Art. 4. p. 36.* Demum ab illis quoque differt, qui nutante hinc inde incedunt corpore, qualem invenire fœminam eſt ap. eundem *Grubium l. c.* & ſimilem caſum non ſemel obſervavit *Dn. Præſes*. Illi namque vagabundi homines nullâ membrorum jectigatione violentâ, nullo ſaliendi deſiderio errant, ſed hominum ſaltim conſortia averſantes nusquam tutam fidem putant. Hi verò & iſti tantum ab-

eſt,

eſt ut ſaltent, ut potiùs tremant, & quò ipſis eſt vel neceſſariò, vel divertendi animi gratiâ eundum, ægrè moveantur.

Quoad PROGNOSIN SALUTIS & MORTIS, laudari meretur & huc applicari *6. aph. 53.* ubi *Cum* αἱ παραφροσύναι, ait, μετὰ γέλωτος γινόμεναι, ἀσφαλέστεραι, *deliria cum riſu accidentia, tutiora.* Cum ergò levis hic error mentis ſit, nec quoad alia ſemper, & ſaltim quoad hoc, ſeu ſaltum notetur, deſperandum de ſalute non eſt. Exempla ſi non perfectè, ad tempus tamen, reſtitutorum talismodi hominum vide apud *Platerum l. c. Horſtium l. c.* & alios. Ex mille Tarantatis, ſcribit *Ferdinandus l. c. p. 255.* ſi antidota ritè applicentur, vix alter vel duo peribunt. Sic etiam *p. 263.* non eſt, *inquit*, venenum, Tarantulæ puta, adeò exitiale, nam cedit utplurimum & quaſi ſemper ejus ictus antidotis, nec moriuntur, monet *idem p. 253.* niſi quibus vel antidota præſtò non fuêre, vel maximè Muſica defecit. Omnis verò ſalutis ſpes in ſolo ferè ſudore ponitur.

LONGITUDINIS & BREVITATIS ſigna ſunt eadem ferè, quæ deliriorum aliorum. Uti enim quæ cum febri contingunt, brevi finiuntur magis; ſic quæ citra eandem ſunt, diuturniora eſſe conſueverunt.

Quamvis enim mortem ipſam aliquando, eamque brevi inferre ſcribatur morſus tarantularum, ſi remedii genus nullum adhibeatur, malum negligatur, æger ſit tenerior, vel inde eveniens παραφροσύνη περὶ ἀναγκαῖα, *delirium circa neceſſaria* ſit, cibum, potum, & ſimilia, elogio *Coi, coac. prænot. n. 98.* Attamen, ſi contrarium accidat, utplurimum diuturnum malum eſſe ſolet. Hinc & citata ſuperius puella per aliquot hebdomades cum malo conflictata fuit, prius quam reſtitueretur integrè. Non facilè enim eſt eccentricitatem hanc intellectus & conſequentem motûs curare. Quod ſi materia morbifica, & venenum cumprimis perfectè evacuata fuerint, malum penitùs jugulatum; ſin ſecus, & reliquiæ manſerint, ſaltim ſopitum iri ad tempus ſtatuendum eſt.

Ut de MODO EVENTUS conſtet, videndum, quomodo vires habeant, & quamdiu duraverit ſaltus. Si longior fuerit, ſi vires attriverit, clauſuram actum vel ſcenam ſubitam lipothymiam ſomnumve diuturniorem innuit. Hæc verò, cœteris paribus, ſperare meliora jubent.

bent. A morsu ergò tarantulæ quæ fit, discussione veneni finitur. Quæ ab aliis causis, spirituum & humorum titillante saliari fermento correcto & destructo.

CAPUT VII.

De Curatione in genere, & ex fonte Chirurgico.

POstquam itaque tenus hac Choream S. Viti depictam ad vivum quasi dedimus, restat, ut in ejus etiam curationem, quantum fieri potest, incumbamus. Ast ne ἄνευ μεθόδȣ videamur quicquam tentare, à tribus inprimis pendebimus indicationibus, curatoriâ nempe, præservatoriâ & vitali.

CURATORIA in eo tota erit, ut enormis saltandi libido, spirituumque vitiosus motus coërceatur, & dulcis quies ac optata pax inducantur.

PRÆSERVATORIA id curabit, ut fermenta inidonea tollantur, præcipuè, ut noxio spiritus eximantur stimulo, sive humorum illum addiderint quisquiliæ, sive venenum ipsum posuerit, sive tandem ipsa externa, quæcunque fuerint, alant. Deinde laborabit, ut caput & tota adeò cerebri progenies, nervi, alterentur, roborentur; imò viscera abdominis, hypochondria, lien, uterus emendentur, ac reparatis viarum anfractibus, demptoque spumascentiæ œstro, procedant cuncta secundum œconomiæ humanæ leges, ac lympha inprimis suos intra alveos pacatis undis labatur.

VITALIS de viribus restaurandis solicita erit, & accommoda huic fini proponet media.

Indicata autem hîc alia atque alia proficua malo remedia petenda maximè ex triplici Medicinæ penu sunt. Et quidem ex CHIRURGICO primùm VENÆSECTIONEM postulabimus, quæ an & quando conveniat, ex proportione indicantis ad indicatum, eruere medico rationali difficile non est. In Tarantismo malefidum venenum eam prohibet, ex eâ ratione, quia potior alia est indicatio, discussio & annihilatio ejusdem, citra quem

respectum potius metus est, ne reliqua hinc veneno faciliùs massa pateat. Sic nec in illâ choreâ proderit, cujus in humoribus focus, & sordium noxiarum in primis maximè viis ingens apparatus est. Proderit tamen secundariò ad deplendam mensuram superfluam, ad alterandam intemperiem, idque potissimum, si circumspectè adhibeatur, si machinæ humanæ fuerint vestibula purgata, ad mitigandum effrænem sanguinis tumultum. Proderit, ubi error phantasiæ, tumultuariis humorum ideis debitus, rationi indixerit bellum, ad delendas istiusmodi insanas imagines, frangendumque spirituum morbosum robur.

Præter hoc evacuans remedium generosum illa quoque ex chirurgiâ huc arcessenda, quæ speciatim morsum tarantulæ concernunt, & venenum inde humoribus vitalibus illatum, ut ad extra magis vocetur, & in centro quasi detineatur, figaturque. Conveniunt hunc in finem tum SUCTIO ORIS, *Dioscoridi lib.6. c.40.* in quovis venenosi animalis morsu tantoperè probata; tùm HIRUDINES, CUCURBITULÆ cum & sine scarificatione, ipsaque VESICATORIA, ex cantharidibus, quæ *Epiph. Ferdinando l.c. p.260. 264.* & *Joh. Bapt. Portæ lib.6. Phytbogn.* bezoar dicuntur veneni Tarantulæ, adeò ut & internè ternario vel quaternario numero in potu dare quidam sustineant, citra tamen rationem. Ita verò compendiosâ viâ evocare licet ichorescens serum unaque efficaciter averruncare fermentativum venenum.

Par ratio est CAUTERIORUM actualium; ignis enim & hoc casu destructor est seminum morbificorum felicissimus. Nec FONTICULI frustra fuerint, cùm corrigendis lymphæ vitiis unicè dicati sint, inusti brachio vel pedi, vel quoque ipsi nuchæ.

Neque verò ad maniacorum Paracelsicam curam opus est devenire, apertionem apicum digitorum puto, ut dolore commoti resipiscant tandem desipientes. Potior erit heroica curatio per SALIVATIONEM mercurialem, præmissis universalibus aliis summo cum successu, nullo cum periculo applicanda, ut hoc pacto contrarius motus sero inducatur, & exitu dato sufficienti spumescere & rarefieri vitiosè desinat.

Singula hæc & extra clima Tarantismi aliis in casibus locum suum inveniunt, ut correctione humorum debitâ factâ spiritus quoque ad modeṛationis leges reducantur.

CAP.

Caput VIII.

De Curatione ex fonte pharmaceutico.

GEneroſiſſima ad ſcopum medicum conſequendum ex PHARMACIÆ pharetrâ depromi poſſunt remedia, quæ dogmatico more ſuis loculis recondita exhibebimus, ut prudenti medico ad manus ſint, inde depromenda.

Ex LENIENTIUM penu licet videantur levioris armaturæ milites deprom i poſſe, illa tamen inſigniſſima ſunt, tum per ſe indicata, tum ut reliquis aditum adparent. Solet enim archeus exorbitans & ad alia diverſus ſeu intentus utplurimum derelinquere ſtationes excernendorum, vel à congeſtione in primis viis humorum turbari magis, quaſi è minerâ hâc morbis productis, vel aliunde illatis adaugeri ſolitis. Commendari poſſunt in rem noſtram ſequentia: ℞ ☿*earum Schröd. aloeticarum*, fermento & aſtro ♂*li* roboratarum, *extr. hellebori* ♁*le*, ☿ 🜔*l. ſ.* ☽*ris*, ♂*lis*, *cryſtalli* ☿ 🝆*tmti*, ♂*les*, 🝆 *laxativum*, & ſimilia.

Clyſteres quoque laude ſuâ non carent, ex emollientibus, cephalicis, nervinis & abſtergentibus concinnati, additis ex legibus artis lenientibus & ſtimulantibus.

Sin PRÆPARANTIBUS opus ſit, præſtò ſunt delirantium idearum averrunci ſtrenui ♂lia & ♁iata, utpote mineræ & foco alterando debita, aliaque blandâ ſuâ nitroſitate & balſamicâ virtute novum vigorem M.S. fœnerantia, v.gr. *croc.* ♂ 🜍*rat. pulv. cach. cinnabarinus Dn. D. Præſ.* ℞*a* ♂*tis pomata, cydoniata, tamarindinata*, acceſſione arcani ☿*ri*, *liqu.* ♂*lis*, ∼*us* ☿*ri*, 🝆, ⊖ ✱*ci*, aliorumque roboranda, ℞a ♂ *balſam. eſſent. fumar. lignor. pæon. anagall. ſ. & compoſ.* ℞*a* ♁*ii duplicata*, *elixir hellebori*, ℞*a antimaniaca cum* ∼ ⊖ ✱*ci vinoſo*, quæ ipſa quoque ſpecificorum claſſi adnumerari jure merito poſſunt.

PURGANTIBUS *ἄνω* & *κάτω* feliciter curari poſſe, quorum mens integra non eſt, dudum in proverbium abiit. Quid enim ad Anticyras ire, niſi hoc eſt? Ita enim immerſæ humoribus turbantes ideæ cum iisdem educuntur, & bilis deliriorum non minima cauſa

corrigitur apprimè. Laudamus benedicta ex *belleboro nigro*, *gialapâ*, *scammonio*, *sennâ*, *lap. Lazuli*, medicamenta, variis formis præparata & composita, prout vel pilularum, quas hîc eligi magis usus obtinuit, vel pulverum, vel per ἐπίκρασιν etiam, junctâ cum alterantibus operâ, infusorum aliaque placeat varians miscela.

Præstantiora his sunt EMETICA, propinquius eradicantia & revellentia malorum fontem, unde effectus probatissimos notârunt practici, inprimis si hypochondria, ut fit, concurrant, vel morbus vectibus indigeat. Præstò sunt ⊖ ⊕li, ☿ *vitæ*, ♀ *emeticus*, ▽ *bened. Rulandi*, suis dosibus propinanda.

Ex DIURETICIS mutuari fas est acidula, refrænantia & temperantia, *clyss. ♃ii utrumq;*, *arcan. ♀ri ♂le*, *arcanum duplicatum ♃iatum*, ℞ *am aperit. ♂lem*, ∽ ⊕li ♂, *aper. Penot. M. S. antiscorb. ♂lem*, aliaque satis eximia.

Neque seorsim digredi ad seligenda DIAPHORETICA opus fuerit, cum eadem specificorum censu venire queant. Ut enim dicamus quod res est, videntur SPECIFICA bigâ medicamentorum absolvi posse, BEZOARDICORUM & CEPHALICORUM.

Illa magis locum inveniunt, quando morsus phalangii inflictus fuit ex improviso. Liceat nobis asserere, maturâ hâc ope omnem vim veneni in suâ herbâ extirpari posse, modò vegetiora, volatilia vel media, propinentur prius, quàm corrumpere possit vel radices agere id ipsum; v.g. laudatissima eo casu *theriaca*, *mithridatium*, & ex iisdem compositum *electuarium specificum Scaligeri*, *ex. 185. elect. Orvietanum*, ℞ *a bezoardica Mich. D. Præs. Rolf. Moeb. M. S. electuarium antiphalangium Ferdinandi*, *bezoardicum de tribus Knöphelii*, ♃ *bezoardicum*, ∽ *C. C. ebor. serpent. viperar. essentificati*, *liqu. CC. succinat.* & similia, interpolatis pro re natâ fixioribus, ♃*io diaph. bez. min. ♂li*, ☽*ari*, *magist. C. C. spin. viper. ebor. pulv. bez. utroq; D. Præsidis*, *extr. scorzon. montan.* &c. Componi hinc corpus ad sudorem potest, & repeti antidotus, diversis memoratis in eundem effectum conspirans.

Hæc verò, CEPHALICA, humorum correctis vitiis, spiritus componere nôrunt, delirio & irritationi titillanti debita. Laudamus hoc nomine è liquidis: ∽ ⊕li *volat. epil. s. & compos. elixir cephalicum Rolf. Mich. Præs. ess. sang. asin. compos. liq. cephal. Wedel.*

-- ⊖ *ci*, &, cui vires suas largitur unicè, ℞ *am* ☽*æ*, ℞ *am comllior. c.* -- *lign. c. succ. citr.* ▽ *hirund. c. castor. pæon.* &c. Ex solidis instar omnium sunt *cinnabarina*, *cinnab. nat.* ℥*ii*, *fl. cinnab. nat. specif. cepb. pulv. epil. March. spec. de gemm. fr. diamarg. fr. cordial. temper. magist. corall. perl. lap. laz.* ☽*æ*, ut alia prætereamus alterantia communia & propria, decocta, infusa, emulsiones, potiones, mixturas, variis scopis conjunctis aptanda.

Utrisque pondus addunt, & per se quoque laudanda sunt OPIATA. Cum enim inquietudo adsit, spiritus sint efferati, effrenes, adeoque quovis modo ligandi, meritò ad sacram hanc anchoram confugimus, omnibus illis navem microcosmicam turbantibus fluctibus frenum injicientem. Hinc optimo consilio theriacæ, morsibus animalium venenatis debitæ, tanquam fulcrum & basis inditum fuit opium, ut *mole minimum, facultate maximum humorem*, morsu ictuve in corpus missum, (ita vocat *Gal. l. c.*) promptè expelleret & fermentativum motum statim sisteret. Optimè hinc pro specificis laudantur eadem à *Paracelso*, & vel primariâ, vel comitante secundariâ dosi dari possunt, *laud. op. magist. anod. cephalicum, essent. anod.* tum aliis modis, tum beneficio fermentationis separativæ parata.

Quod TOPICA attinet, duplicia esse possunt itidem; vel morsui venenato debita, vel nervoso generi ac demulcendo corpori. Illo fine *theriaca, allium, cepæ, ruta*, ✠ *rutaceum, bezoard.* ☿ *camphoratus*, ℅ ♀*ri foetid. camphorat.* & alia prosunt, pro eluendâ ac fovendâ parte affectâ; ut non laudemus leviora, gallinæ deplumatæ applicationem &c. Hoc *unguentum nervinum, martiatum, aregon.* cum *ol. rosm. sassafr. castor.* & similibus, *linim. nervin. D. Pras.* &c. Non minus epithemata refrigerantia ad frontem, testes, pulsus laudari possunt & in usum duci, ex ▽ *ros. solan. nymph.* ⊕ ℥*iat. succ. semperv.* ✠, *decoct. fol. lactuc*; ipsaque pediluvia non erunt de nihilo.

CAPUT IX.

De remediis aliis, & Diæta.

COmmuni vulgi & medicorum opinione ac persuasione remedium unicum & probatissimum Tarantatorum habetur Musica,

adeò ut vel magiſtratus conducere ſumptibus publicis ſcribatur, qui fides vel tympanum pulſando adeoque muſicis modulis animum delinientibus miſeros ſaltatores vel ſolentur, vel curent. Imò artificium non leve ponunt, in individuali ſono inveniendo, non omnibus ex æquo recipientibus remedii vim, vel promiſcuè ad quemvis chordarum impulſum ſalientibus.

Argumenta pro hâc panaceâ laudantur non levia, muſicæ vis in demulcendis & ſopiendis ſpiritibus, in excitando ſudore, per motum conſequentem, &, quæ omnibus prævalet, experientia, toto die teſtata. Verùm ſi rem penitiùs penſitemus, vix adduci poſſumus, ut muſicam pro genuino & adæquato remedio habeamus, ut potius quicquid præſtare fingitur, motui adſcribamus. Hinc ſine dubio non niſi cura palliativa & accidentaria inde expectanda, vertente anno repetenda. Concinnè hanc in rem *Cardanus l. c. p. 357.* Non muſicâ, *ſcribit*, ſed labore venenum diſcutitur; & *Scaliger* ejusdem cenſor ad hunc locum, rectè, *addit*, tu muſicâ curari negas. Labore namque ac ſudore tum vincitur, tum expellitur venenum. His ipſis gemina eſt *Paracelſi* ſententia, abſonum eſſe muſicâ uti, opus potius eſſe abſtinentiâ, aliisque remediis, quæ ſanguinis & ſpirituum motum deferveſcere faciant, imò, ſi providè inſtituatur, præfert ferulam. Eandem etiam Romano cuidam 24. annorum Juveni, cum talem inſanam ſaltandi præ ſe ferret libidinem, dictat *Heinr. Schickardus in Itinerario Italico*, ſcripto Germanicè, medelam, nempe triremes.

Satius fuerit, impellente intrinſeco unaque expellente uti bezoardico, quo facto per confeſſa ſaltationem unicè præcaveri conſtat. Solis verò impellentibus externis pro citando ſudore uti velle in ſcholis medicis eſt inconveniens, vel ſaltim inſufficiens.

Memoranda hoc loco curatio eſt generoſa & probata, per elementum benedictum aquæ, à *Paracelſo* & *Helmontio* commendata, factâ in eandem ſubmerſione, quâ de latius hic legendus *l. dem. id.* *§. 47. ſeqq.*

Ut de DIÆTA pauca addamus, omnis quoque eò dirigenda eſt, ut conquieſcant irrequieti ſpiritus. In VITALI AER ad frigidum inclinet, calidus vitetur vel temperetur.

In NATURALI CIBUS & POTUS tenuior convenit, ille par-

parcior, hic sufficiens. Sanè abstinentiâ & hic morbus magnus curabilis est. Absint saliares dapes, VINI potus exulet, vel non nisi ὀλιγοφόρον concedatur. Ita enim brevi mitescent spiritus, ablato fomite lautiori.

SOMNUS humectantibus aliisque remediis concilietur, & concedatur longior; VIGILIÆ proscribantur, nec studio protrahantur. Loco MOTUS quies imperetur, quem in finem & carceres quidam remedium esse perhibent satis commodum.

EXCRETA suo respondeant quælibet officio, & id nisi fiat, curetur emollientibus cibis, vel lenientibus medicinis. ANIMI AFFECTUS in contrarium rationis freno dirigantur, si non ab impotentibus animi ægris, tamen ab adstantibus & medicis, ut qui læti videntur, in contrarium, tristitiam, flectantur, adeoque medium emergat, quod sanitatis est proprium. Sin VENUS ansam præbuerit intermissa, venere curetur licitâ, unaque exorbitantiæ aliæ caveantur.

FINIS.



CLARISSIME PROFI,

QUod tantos Medicâ toleraris in Arte Labores,
non Te pœniteat: licet, en! jam carpere fructus
dulces, quos præbet gustandos nostra cathedra.
Queis aditum pandit nunc ad Doctoris honores.
Candida successus TIBI det fortuna perennes!

gratulab. deprop.

Rud. Wilhelmus Krauß/ D. P. P.

DEmentem strepitum doces,
qui rixæ metuens deditus est jocis;
Et quos flamina tibiæ
ducunt, nec tacitâ fistula cum lyrâ

in-

insanire facit, domas.
Donantur merito præmia commoda;
Rubrâ Te nitidum comâ
Doctorum lateri jungere purpura
tempestiva cupit brevi,
atq; hinc Te patriæ reddit amor meæ.

Nobilissime Profi,

Quam Lusatiæ meæ operam debui, illam à Te expectat eadem, ego verò laudatissimam eruditionem, dexteritatem & mores inculpatos, singula medendi peritiæ singulari juncta, tantoque magis conspicua, Patronis commendo

PRÆSES.

ARtis Apollineæ sidus prænobile PROFI,
indefessa tuum commendat cura laborem,
quem sedulò tractas. Via nulla tibi invia. Lætus
nunc scandis cathedram, claros Doctoris honores
& titulos ambis. Feliciter omnia cedant!

Nobiliss. Dn. Doctorando gratulabundus pos.

Augustinus Henr. Faschius, D. P. P.

DUm choream Viti contendis tollere tristem,
egregiasq; potes nos arte docere medelas,
concilias subitò calidum JUNONIS amorem
quæ gratas saltim choreas amplectitur illex.
Hinc Tibi mox tales spondet sociamque venustam!

Nobilissimo DN. DOCTORANDO, Fautori suo & Amico æstimatissimo, novos honores jam dudum promeritos ex animo gratulatur

Joh. Georg. Brem/ J. U. D.

B. L.

Errata, quæ ob temporis brevitatem irrepsere, ipse corriges; unum saltim notamus præcipuum, p. 8. l. 13. leg. venas.

GEORGIUS VVOLFF-GANGUS WEDELIUS, MED. DOCTOR, THEORETICES PROFESSOR PUBLICUS, ARCHIATER DUCALIS SAXONICUS, h. t. FACULTATIS MEDICÆ DECANUS,

LECTORI BENEVOLO
S. D.





Piritus animales præstare sensum & motum axioma medicorum est non minus antiquissimum, quàm utilissimum ad φαινόμενα animati corporis plurima explicanda. Τὸ πρῶτον τῆς ψυχῆς ὄργανον εἰς τε τὰς αἰσθήσεις ἁπάσας τοῦ ζώου, καὶ προσέτι τὰς καθ' ὁρμὴν κινήσεις τοῦτο εἶναι τὸ πνεῦμα, *primum animæ instrumentum ad sensus omnes, & item ad motus qui ex appetitione fiunt, hunc esse spiritum*, disertis verbis asserit *Pergamenus l. 7. de Hipp. & Plat. decret. c. 3.* Si *Hippocratis* consulamus oracula, idem quoque stabilitum licet offendere; ὁ ἀὴρ, *inquit*, τὴν φρόνησιν καὶ τὴν κίνησιν τοῖσι μέλεσι παρέχει. *Aer sensum & motum membris exhibet, l. de morb. sacr. c. 8. t. 12.* Per aerem intelligi spiritum animalem, quamvis ab externo videatur illum in corpus arcessere, totius libri & textus συνάφεια evincit, præcipuè cum passim, v. g. *loc. cit. c. 6. t. 22. 25.* πνεῦμα *spiritum* nominet illum ipsum, quem hîc aerem dicit, quod *Prosper Martian. comm. in hunc librum vers. 183. p. m. 125.* latius confirmat. Notatur hoc ipso hujus spiritus natura subtilis & aerea, factâ in cerebro majori alcoolisatione spiritus vitalis. Eleganter verò φρόνησιν vocat, quod nos sensum potius, quàm sapientiam vertimus, sensu enim sapiunt partes, tanquam instrumento cognoscendi & volendi; & hoc ipso exprimitur sensus energia, quod non sit simplex apprehensio, sed combinata cum aliquo judicio. Tertium quoque nomen apud eundem divinum senem occurrit spiritu-

um, in solenni illâ partium omnium divisione, in τὰ ἴσχοντα, ὁρμῶντα, & ἐνισχόμενα σώματα, quod *Lindenius* continentia, contenta, intus permeantia corpora vertit; vulgò rectius, partes continentes, contentas & impetum facientes, ut *Hoffmannus l. 2. instit. med. c. 1. p. 22.* reddunt. Ut verò certum est intelligi partes solidas, quæ robur simul exhibent, fluidas, seu humores, & spiritus, teste *Galeno l. de palp. & trem. c. 5.* ita si vim vocis spectemus & significationem propriam, τὰ ὁρμῶντα *moventia, impellentia* sunt explicanda, ut innuatur, spiritus reliquis motum largiri. Largiuntur spiritus motum omnem, non uno verò modo, sunt enim & fluidæ & solidæ movendæ partes. Deprehendimus verò in corpore duplicem motum potissimum, unum *intestinum* perpetuum, cujus principium cor est; alterum *localem*, μεταβατικὸν quibusdam dictum, autore *Gal. comm. in Tim. Platon. t. 2.* quos & naturalem ac animalem, seu voluntarium appellant, dispensatum à cerebro. Uterque debetur spiritibus; intestinus quidem vitali, localis verò animali magis. Ille enim fluidarum proprius est, quibus hinc vitalis magis præsidet, nisi forsan naturalem quendam sero seorsim tribuere velimus; hic solidarum, animalium regimen & impulsum agnoscentium, ita tamen ut hoc limitatum sit animæ ipsius, tanquam primarii motoris in corpore, nutu & imperio. Neque enim audiendi sunt, qui animalem à vitali non distinguunt, cum *Helmontio*, (alibi tamen moderatiori, *l. spir. vit. t. 29. p. 161.*) verentes confusionem. Siquidem, *ait*, in unicâ navi, unicus tantum clavo rector assistit, nec plures absque confusione sese compatiuntur. *l. sextupl. digest. p. m. 178.* Omnia parent animæ, ut navarcho plures nautæ vel remiges.

ges. Sororiantur inter ſe ſenſus & motus, unde nullus motus, præterquam in parte ſenſili viſitur, uterq; commercio animæ ad extra verſus quæcunque objecta moventia inſerviens, ille nempe cognitioni, hic appetitui. Spiritus intus agit, offerens ſimul ideas ſenſiles & parens rectori ad volendum vel cognoſcendum diſpoſito, ſive irradiationem, ſive undulationem quandam, utramque momentaneam, ab animâ indictam, concurrere ſtatuamus. Satis eſt portitores hoſce continuo & individuo tramite affluere, congregari & jam dum ſpiritu vitali fœtis humoribus conjunctis, & utriusque concurſu ſolidis in omnes motus aptis imprimere motum, prout viſum appetitui, ſeu ſuperiori facultati fuerit. Robur verò ultimum ſuſtinent fibræ motrices muſculorum, in carnoſis hiſce partibus velut circinatæ, adeoque validiores longè redditæ ad ſuſtinendum onus, transferendum & movendum corpus, alioqui ſat grave, concurrentibus variis membrorum tenaculis, articulis & flectendi modis diverſis. Fit tamen & hîc non rarò, ferri equis aurigam nec audire currum habenas, motûs puta inordinationes multivariæ. Quandoque tenſa quaſi notatur machina, æquali vel tranſverſo, ante vel retrò, poſitu, quod utut rarum, non ſemel tamen vidimus. Sæpius ſolicitatis & irritatis alveis motus ſpaſmodici irregulares viſuntur, prout vel imperium ſimul regentis animæ reſpuitur planè, vel contrà naturam fluidæ partes moventes ordinarias diſponere erroneè nituntur, & membranoſæ ſenſui velificantes carnoſis motum ſuſtinentibus inverſum officium deferunt; ſeu ſenſus turbentur ſimul, ſeu ſibi relicti dolorem amiſſi imperii concipiant majorem. Vidimus olim in virgine dyſentericâ motus digitorum
 ſpa-

ſpaſmodicos, non aliter diſpoſitos, ac ſi ad pulſandas claves organi muſici harmonicum præ ſe ferrent motum. Verbo ad modulum naturalium motus ſpecierum etiam irregulares & morboſi reverà viſuntur diſtincti, modò contractis, modò extenſis, modò tenſis manentibus, modò de loco in locum agitatis membris; frequentius tamen vel tonici ſunt, vel cum κλόνῳ. Inter hæc rarior ideoque conſideratione dignior eſt motus ſubſultorius, quando vel ſpumaſcente magis lympha titillationem & ſubſultum concipiunt ſpiritus, hiſque auſcultans phantaſia, vel conſimili titillatione in partibus nervoſis & membranoſis ortâ in tripudia inſana aguntur corporis extrema. Latius id digeſſit in DISSERTATIONE INAUGURALI DE CHOREA S. VITI Clariſſimus & digniſſimus artis medicæ Candidatus, Dn. GOTTLIEB PROFIUS, SORAVIENSIS LUSATUS, de cujus vitâ, modeſtis & pudicis moribus, adulto ingenii robore, ac eruditione ſingulari quædam dicenda veniunt. Vitalem auram haurire cœpit Anno Chriſtiano M DC. LIV. d. IX. Jun. S. N. editus integerrimis parentibus, patre HENRICO PROFIO, cive Sorano, matre ANNA HESSIA. Mox quinto ætatis anno piiſſimo patre orbatus curæ cum matre diviſæ ceſſit patriæ Scholæ præceptorum fideliſſimorum, inprimis Viri Ampliſſimi & Clariſſimi Dn. GEORGII LAGISII, tunc temporis Rectoris, nunc Prætoris, cui inſigniſſimas grates & laudes ſe debere profitetur, & Dn. JOHANNIS HEINRICI HEINSII Conrectoris meritiſſimi p. m. Ubi verò tandem orphano alium ſurrogaſſet Deus, conditione matrimonii vitricum, animo parentem, VALENTINUM CONRADI, Civem Soranum optimum b.m. conſilio Parentum ad inclytum

Gör-

Görlicense pervenit Gymnasium Ann. M DC. LXXI. mense Aprili, imbutus ibidem, ad *Senecæ* monitum, non literis modò, sed & bonis moribus, ac, quod præcipuum est, pietate, Doctoribus Clarissimis Dn. M. CHRISTIANO FUNCCIO Rectore, Dn. M. ABRAHAMO VECHNERO, Pro-Rectore; Dn. MARTINO RICHTERO Con-Rectore, & Dn. ANTONIO SCHMIDIO, Sub-Rectore, quorum egregiam dexteritatem, fidelitatem, operamq; non potest nisi perpetuâ memoriâ venerari. Abunde itaq; instructus literaturæ præsidiis Ann. MDC.LXXV. d. XIX. Aprilis ad almam hanc studiorum matrem SALANAM commigravit, eo quidem laudabili proposito, ut tanquam ad mercaturam bonarum artium profectus otio vacare ac libidini, & inanem redire turpissimum duceret. Quare ne necessaria incrementa profectuum negligeret, Philosophicis lectionibus usus est sedulò, inprimis Physicis Amplissimi & Excellentissimi Dn. CASPARIS POSNERI, Naturalis scientiæ Professoris Publici famigeratissimi, & Logicis Reverendi & Clarissimi Dn. M. JOHANNIS ADOLPHI FROHNII, t.t. Facult. Phil. Adj. nunc Pastoris Lemgoviensis. Ad Medicinam cum animum appulisset præcipuè, artis divinæ Professorum celeberrimorum informationi se totum dedidit publicæ & privatæ. Audivit Nobilissimum, Experientissimum & Excellentissimum Dn. D. RUDOLPHUM WILHELMUM Krauß/ Pract. & Chim. Professorem Publ. & Facult. Seniorem venerandum, in Affectus Capitis, artemque chimicam publicè commentantem, domique centra mixtorum vivâ voce & igne reserantem. Comitatus Nobilissimum, Experientissimum & Excellentissimum Dn. D. AUGUSTINUM HENRICUM FASCHIUM, Anatomiæ, Chirur-

rurgiæ & Botanices Professorem Publ. seu florum herbarumque historiam in hortis & sylvis panderet, seu chirurgiam doceret, seu cadavera humana secaret exercitato cultro Me quod attinet, cum in partem testimonii vocer, laudem assidui & exoptatissimi auditoris omninò conferre Candidato huic debeo. Per plures enim annos lectiones & publicas, nunquam studio dilatas, studio indefesso excitavit suo, & privatas quoque plures, unicè id agens, ut solidam, non superficiariam acquireret eruditionem, nullâ neglectâ medicinæ parte, nullâ discendi occasione. Publicè etiam, sub nostro ductu, partem PHARMACIÆ in A. F. R. de spiritibus, sulphuribus, tincturis & vitris, disputando defendit strenuè. Hausta hinc avidè cum probè digessisset, perfectos & maturatos studiorum fructus publicâ commendatione patriæ offerre gestiens, quâ decet modestiâ nuper petiit, ut in numerum Candidatorum recepto aditus ad consueta examina concederetur. Tanto promptius adnuit Facultas petenti, quantò magis omnibus & singulis constabat merentissimum eundem esse & genuinum artis filium. Restat ergò, ut, cum ex voto satisfecerit nobis, & publicè ingenii has dotes probet in laudatâ Disputatione Inaugurali, sub nostro Præsidio, ad d. XI Februarii habendâ. Huic panegyri ut Magnificus Dn. Rector, Magnificus Academiæ Designatus Rector, omniumq; Ordinum ac Facultatum lumina, Professores, Doctores, Hospites & Fautores honorificâ suâ præsentiâ interesse dignentur, nomine Facultatis perofficiosè & amicè precor. P. P. sub Sigillo Facultatis Medicæ. MDC. LXXXII. D. V. Febr.

